



Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen
Verhältnisse]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1845

DCXLVIII. Kaiser Ludwig bestätigt dem Markgrafen von Brandenburg und
der Mark Brandenburg alle althergebrachten Rechte und Freiheiten, am
18 Februar 1328.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56193](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56193)

Meinhardo de Ortenburg¹⁾ Ottone de Orlamunde, hermanno de Castel, Chunrado de Thrahundingen²⁾ et Johanne filio Burggrauii supradicti, Comitibus, necnon nobilibus viris Chunrado de Sluzzilburg³⁾, alberto dicto hummel⁴⁾ de Lychtenberg marschalco⁵⁾ nostro, Engelhardo de winsperg, andrea et Gotfrido de Brunecke⁶⁾, heinrico de Preysing⁷⁾ curie nostre magistro, necnon nobilibus Romanis Jacobo dicto⁸⁾ de Columpna, Jacobo de Sabellis, Senatoribus, Manfredo de vico alme vrbis prefecto et Thebaldo de sancto Eustachio, ad pleniorum certitudinem premissorum. Datum et actum Rome apud sanctum Petrum, duodecimo die mensis februarii, anno domini incarnationis M^o. CCC^o. XXVIII^o., indictione vndecima, regni nostri anno Quarto decimo, Imperii vero primo.

Et ego hermannus de Lychtenberg, scolasticus ecclesie Spirensis, necnon prepositus ecclesie sancti Jermani extra muros eiusdem, nomine et vice domini heinrici archiepiscopi coloniensis archicancellarii cancellarius presentibus interfui et manu subscripsi.

Nach dem im Geh. Kab.-Archive befindlichen Copialbuche des Markgrafen Ludwig I. fol. 1. 2. die Varianten sind aus einem zweiten Copialbuche (C. 5. in 4^o) aus der Zeit desselben Markgrafen betitelt Imperium Ludovici Imperatoris. J. P. v. Ludwig (Reliq.Man. II. 274.) hat die Urkunde sehr fehlerhaft mitgeteilt und zwar nach dem festgedachten Copialbuche. In Gercken's Cod. VII, 43 ist dieselbe nach dem erstern Copialbuche wieder abgedruckt, jedoch gleichfalls nicht ohne Fehler.

DCXLVIII. Kaiser Ludwig bestätigt dem Markgrafen von Brandenburg und der Mark Brandenburg alle althergebrachten Rechte und Freiheiten, am 18 Februar 1328.

Ludovicus, dei gratia Romanorum Imperator semper augustus, Illustrissimo Ludowico marchioni Brandenburgensi, principi et primogenito suo karissimo gratiam suam et omne bonum. Firmavit dominus regnum nostrum, ponendo nos in summum gradum imperatorie dignitatis, vt subiectis nobis regibus, principibus, Comitibus et dominis ac aliis vniuersis iura ipsorum et priuilegia confirmemus et ipsos manuteneamus et foueamus in sua iustitia nostra potentia seu virtute. Sane cum tu in regimine marchionatus marchie brandenburgensis, cuius dudum tibi principatum contulimus, et aliis tibi collatis et concessis regalibus scriptis nostris, ad honorem tuum et nostrum ac sacri Imperii fidelium et subditorum tuorum profectum, talem te exhibueris et habueris, quod pridem tibi collata et tra-

- 1) Ortenburch.
- 2) Trühendingen.
- 3) Slüzzelberg.
- 4) humel.
- 5) marschalco.
- 6) Brunek.
- 7) Preising.
- 8) Serra de Columpna.

dita vberioris gratie nostre dono ad ampliorem roboris firmitatem tibi debeant merito confirmari, Non indignum credimus, quin tibi de nostre potestatis plenitudine, in quam vocati sumus, de premissis et aliis predecessorum nostrorum Romanorum Imperatorum et regum gratiis, concessionibus, priuilegiis, olim marchionibus brandenburgenfibus et marchie collatis, prouideamus de oportune confirmationis presidio, ad ampliorem omnium illorum firmitatem et tui securitatem certius obtinendam. Ad tuam igitur et nobilium ac magnatum, necnon ciuitatum, opidorum et castrorum marchie, votiuam petitionem, omnia priuilegia, concessiones, emunitates, libertates et Jura, per nostras regales litteras vel per quecumque predecessorum nostrorum Romanorum Imperatorum et regum priuilegia et indulta, concessas et concessa, tibi, marchionibus et marchie supradictis ex certa scientia confirmamus, ratificamus et approbamus, ac iterum de nouo concedimus de plenitudine imperatorie potestatis, Supplentes eadem potestate omnem defectum et sollempnitatem in prioribus nostris et predecessorum nostrorum predictorum litteris vel priuilegiis obmissum, Non obstantibus legibus vel consuetudinibus quibuscumque, quibus omnibus, quantum ad hoc, de certa scientia derogamus et esse volumus derogatum, Tantum volentes, quod sine contradictione qualibet, oppositione vel instantia perfectum robor habere debeant et effectum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostram paginam in aliquo violare vel ei quomodolibet contraire. Si quis vero hoc attemptare presumpserit, Indignationem et grauem nostre maiestatis offensam se nouerit incursum. In Cuius rei testimonium presentes conscribi et bulla nostra aurea cum Imperiali Signo et annotatione subscriptorum testium iustissimus communiri, videlicet ducis Bauarie Rudolphi, principis et patru nostri karissimi, heinrici ducis Brunswicensis, Ludowici ducis de Teck, vlrici lantgrauii altsacie, Meinhardi Comitis de Ortimburg, friderici burggrauii de Nuremberg, Ottonis de Orlamunde Comitis, Alberti dicti hummel de Lichtinberg marschalki nostri, Chunradi de Thruhendingin Comitis, C. de Sluzzilburg, Engelhardi de winsperg, andree et Gotfridi de Bruneke et magistri vlrici wildonis prothonotarii nostri, Datum et actum Rome apud sanctum petrum, XVIII die mensis february, XI indictione, anno domini M^o. CCC^o. XXXVIII^o., Regni nostri anno XIII, Imperii vero primo.

Et ego hermannus de Lichtimberg, scolasticus ecclesie Spirensis necnon prepositus ecclesie sancti Germani extra muros eiusdem, nomine et vice domini heinrici archiepiscopi Coloniensis archicancellarii cancellarius presentibus interfui et subscripsi.